



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt XXIII. Mirabile diuinæ æquitatis & bonitatis, per lupos, auxilia
facientis exemplu[m].

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

clarat. Philo ita loquitur: Oportebat, quo magis elucerent meliora, etiam deteriora produci à potentia bonitatis summa, quæ Deus est.

Arcop. De diu. nom c. 8
S. Aug q 82. ex 83
Gazæus in suo Theophrasto. Philo l. 2 Allegoriar.

C A P V T XXIII.

Mirabile diuine equitatis & bonitatis, per Lupos, auxilia facientis exemplum.

Quoniam superiore capite ex profano authore ostendimus, diuinam bonitatem, etiam in vulpe liberatrice, succurrentem, atque è barathro, siue Ceadâ educentem, addam hîc, quod ab homine fide digno, pio, docto, & verè Religioso, eoque Societatis nostræ candidissimæ mentis sacerdote, ac sene audiui, quem meritò omnes ex Iouis tabulis testem dicebant esse potuisse, in quo dolus non erat, & in cuius ore non est inuentum mendacium. Is, cum aliquando nobis sermo, de varietate Dei homines ad Societatem nostram vocantis, incidisset, cum alto suspirio, mihi dixit, narraturum se admirabilem vocationem, stupendo modo, miserentis Dei, si ei promittere velim, me nomen eius non interrogaturum, de quo historiam verissimam vellet recitare; nam & nomen sibi constare, & notum virum; sed causas esse, cur non proderet. E quibus dictis, aliisque rebus, quas de eo noueram, aliud conijcere non potui, quàm illum ipsum esse, cui id euenisset. Præsertim quia sæpius postea rogantem me, vt nomen & personam interrogandi potestatem faceret, ille ipse me longè vehementiùs rogauit, ne interrogarem: vt proinde visus sit mihi, malle Deo taciturna humilitate, quàm apud homines vocatione prodigiosa notus esse. Quare, imitatione D. Iohannis Euangelistæ (qui & ipse, quæ de se refert, tanquam de tertio, solet commemorare) eum, cui ipsi omnia reliqua narrationi adiuncta quadrabant, in hunc ferè modum, & ordientem, & perorantem, sitientissimis auribus, audiui.

I.
Io. 1. 47. A. poc. 14 5.

Adolescens erat, in terra Germania, non obscuris natalibus oriundus; neque opibus destitutus, si eum parentes pecunijs corrumpere voluissent. Sed illi alienis exemplis cautiores, cum eum, à se, ad studia litterarum amandarent, quia intelligebant, quàm magnum sit vectigal parsimonia, bonæ frugi filium facere maluc-

II.

maluerunt, quàm comessatorem. Itaque scholas aduenti rerum, necessariorum nihil deesse patiebantur, sed neque luxu diffuere sinebant. Sic factum est, vt breui, in scientijs & pietate, pari progressu, proficeret, desiderioque se magis perficiendi incensus animo circumspiceret, qua viuendi ratione potissimum posset etiam in alios olim scientias ac pietatem deriuare. Quia autem virtus illi placuit, mores primùm seculi displicuerunt, mox ipsum etiam seculum desipuit. Statuit ergo animum conferre ad Ordinem aliquem Religiosum, in quo & bibliothecæ vigerent, & morum disciplina non negligetur. Itaque multarum Religionum statuta, leges, vestiendi & habitandi genus; sed præcipuè Religiosos ipsos etiam atque etiam considerauit. Nec diu anceps stetit. Illorum se statuit vitæ addicere, quorum assueuerat doctrinæ; ratus nullos sibi esse perspectiores, quàm quos in schola atque de cathedra noscere didicisset. Certa iam erat illi hæc sententia; & qui-
 escebat animus, immo, *nunc Dij beati*, gaudens dicebat.

III.

Ceterum quis nescit cereas esse mentes adolescentum, præsertim cum nullum ducem directoremue admittunt consiliorum? Nam sicut vites vltimo non alligatæ in terra iacent, & computrescunt ignauæ; ita etiam florentissimorum iuuenum animi, si non habeant, à quo erigantur, in fructus speratos non mature-
 scunt: aut, quemadmodum excussa è silice scintilla, etiam in bonum fomitem incidens facillè extinguitur, si flatu oris non foueatur; ita ardentes hominum etiam proborum cogitationes diuino igne conceptæ citò vanescunt, si illis non detegantur, quorum ignito eloquio possunt in validam flammam promoueri, sed veluti cinere sepultæ prunæ sepeliantur, & suffocentur. Itaq; & huic adolescenti euenit. Pafetis semiobolus dici poterat. Spem in flore fecit, in messe propemodum decepisset. Nam, vt sibi prudentulus videbatur, mentis suæ arcana quàm secretissima habuit, consiliūque religionis ineundæ, neq; illi quidem, qui ei à sacris confessionibus erat, patefecit. Interim non defuere socij, qui in contraria omnia eum impellerent. Inuitabant ad hortos suburbanos, trahebant ad haustus frequentiores; inde ludo chartarum eum implicabant: tandem ad choreas ventum est, & pro virginibus Musis, virgines interpoles placuerunt. Sicut ventus nubes abstergit, ita delicia omne Deo, in religione, seruiendi consilium abstulerunt. Iam sæpius abesse lectionibus, morbos fingere, prætere-
 xere

xere; caussari occupationes, negligere res diuinas, nimium curare res humanas; emere chirotheculas, & sindones preciosas; cultius incedere, & in Nympharum cultus pecunias perdere, neq; libros quidquam pensi habere, denique alius esse passim dicebatur.

Neque latebat hæc mutatio parentum vigilantiam, qui mirabantur, sumtus priores non sufficere, ad se rariùs à filio litteras venire; carùmque loco varias vndique monitiones, suspiciones, querelas emergere. Igitur non dormiendum rati, gnatum vnice dilectum ad alias Athenas migrare iubent, cum loco atq; socijs sperantes vitia quoq; deserturum. Et, vt seueritate terrorem iniicerent, viatici exiguitate puniunt. Viam igitur pedes, & solus ingressus, quâ

IV.

Prominet Hercynia confinis Rhetia silua,

rectum quidem tenuit tramitem, sed opinione prolixiorum. Itaque die destitutus, angere animo cepit, & compendia, non sine dispendio quærere. Sed nec in eo ipso dispendio diuina consilia defuere. Nam Deus *accelerauit coruscationes emittere iudicij sui*, & errore errorem voluit corrigere, vt animam illius in viam reduceret, cuius pes exorbitaret. Per inuia multa, per tesqua densa, per paladosa, cæca illum nox duxit, molestissimis ambagibus, donec tandem, per rariora arborum, conspexit, nescio vnde. lumen quoddam allucere. Hominum habitationem inuenturum se ratus, sequi cepit, quò radij inuitabant, tandemque difficulter elustatus ad magalia peruenit, in quibus existimauit, pastores cum pecoribus suis habitare. Adit. pulsat. sperat. Sed mox intelligit, ad Orci se ianuam delatum esse. Nam ad ostium, cum lumine, pgressa anus, vbi iuuenem vidit, haud illiberalem, miserta periclitantis, illico facessere iussit, & aliò properare. Iuuenis inhumanitatem rusticæ Baucedis interpretatus, impensius rogare institit, vt id noctis admitteretur, promittens, se sine molestia mansurum, stramine aut fæno. in lecti vicem, contentum esse posse, & si quid panis aut offæ daretur. pecunia abunde compensaturum. Non est, mihi fili, aiebat anus, quòd ista excuses: mihi à te nullum metuo incommodum; tibi, tibi metuo, cui certum est exitium, si hîc diuertis. Non sunt hæc pastorum mapalia, vt arbitraris, non colonorum. case. sed immanissimorum latronum receptacula; qui, cum bona tua fortuna, nunc absunt, aurigæ insidiantes, quem eorum vnus, in pago proximo explorauit, hac nocte, transiturum. Iuerunt ergo

Eccli. 43. 14.

E c ad fu.

ad funestam homicidij tragœdiã, cui tu tuo exitio epilogum addes, si vel hîc permanferis, vel in eorum hinc abiens incideris crudelitatem. Dixit hæc anus, & flens iuueni, manum simul ac panem dedit, lachrymis testata dictorum veritatem. Sed, vt periculum declinaret, semitam ostendit, in diuersum à latronibus ducentem.

V.

Quid tunc animi fuisse desertissimo adolescenti putatis? Ibat solus. viam ignorabat. tempus erat nocturnum. magna siluæ densitas & longitudo horrorem incutiebant; sola latronum formido ab itinere atque inedia fatigato pedes restaurabat; cui accessit creperum lumen lunæ iam iam se se supra terras attollentis. Viam igitur volare potiùs, quàm ambulare cœpit, timore pedibus alas faciente. Spatium iam sufficiens se existimauerat euasisse, cum repentè animaduertit, euenisse sibi, quod sphæræ per præcipitium volutæ solet contingere: ad calamitatem enim suam fuit celer. Nam in eos ipsos latrones, quos fugit, incidit, adhuc occisum aurigam terra adobruentes. Illi, siue quia, inter nocturna silentia, strepitum euntis perceperunt; siue quia per emissitios ac venaticos excubitores prædam odorati, extemplo iuueni manus iniecere. Frustra ille elabi, frustra innocentiam, frustra inopiam, frustra adolescētiam obtendere conabatur. Tanquàm molossi Anglici metuentem ceruam, cinxerunt, insolentissimisque clamoribus, veluti latratibus externarunt. Ibi mox prædonum vnus, qui ceteris videbatur immanior, mutato sermone, fictitiãque lingua, & syllabis præposterè pronuntiatis, ceteros adhortabatur, vt pecunia vestibûsque detractis contenti, vitam tâ tenere donarent ætati: cui alius mollem animum, & insulsam misericordiam opprobrians dicebat: proditorem se dimissuros, si viuum dimitterent. Tertij consilium placuit, suadentis, vt vacuum è curru dolium deijceretur, cui velut caueæ inclusa præda tantisper sineretur viuere, donec, cœna repleti, ad eum, cum ludo ac voluptate, ad plures mittendum reuerterentur. Hæc dum sua lingua dicerent, intelligi se ab adolescente non putabant. At ille inter æquales dudum sic nugari didicerat: omnia proinde intelligebat.

VI.

Vix pedibus in eam sententiam iuerant, cum illico doliû de curru, & adolescens in dolio fuit. Discedunt ad latibulum suum latrones. Adolescens in capulo, non in dolio se reperit, viuûmque sepultum credit. Et, vtinam, inquiebat, sepultus essem, nec in liberam mihi auram prodeundum foret! Nihil metuerem, lanienam

Ianienam non expectarem, neque carceris mei angustias sentirem. O quàm crudeliter mecum ludent! ô per quot vulnera sanguis exibis! ô quot ficas purpurabo! aut fortasse de tot aridis arborum ramis ignem suscitabunt, qui illis luceat, mihi ardeat? Certè immania mihi minati sunt. Nihil tam crudele est, quod timere non possim ab ijs, quibus cruor in desiderio; homicidia sunt in voluptate. At quid parentes mei charissimi facient? vbi me quarent? Nulla vnquam Ceres pro sua Proserpina tam sollicita fuit, quàm meapro me mater erit: quæ si me reperire volet, ad Proserpinam ipsam & generum Cereris debet descendere. Sodales verò mei, illi dulcissimi compotores, quò me locorum deuenisse dicent? Sed non curanda mihi est amplius fama, postquam actum est de vita. In singula momenta cultrum expecto, cur moror, quid de me dicant homines? Hæc nox in æternam mihi noctem claudet lumina. Vixisti, miser. Et, vt mortem magis sentias, in flore ætatis tuæ, occumbes. Huccine nascimur, vt pereamus? & desinimus, postquam vix capimus viuere? ô spes inanes! ô stulta mortalium vota! destinatis, quid in senecta ætate facturi sitis, & in prima iuuentute è vita exturbamini. Sed cur hæc fiunt? naturamne accusabo, an Deum? neutrum meritò possum. Natura me diutius sineret vitam prorogare. Deus, sine quo, ne capillus quidem de capite nostro perit, vtique causam habebit, cur ita permittat. Sine illius voluntate, ne passer quidem de tecto cadit; multò minus ego, sine illius nutu, in latrones incidi. Ita me magistri ab inuente pueritia docuerunt. Qua verò id permisisse de causa putem? Dudum memoriæ iussus sum mandare aureum illud dictum: *Non iudices contra iudicem: quoniam secundum quod iustum est, iudicat.* Cur igitur hanc meam calamitatem iustam esse putem? Lusi? sed permilla est adolescentibus honesta relaxatio. Potavi? sed semper, citra ebrietatem. Multa puellis donavi? sed mea erant, sed non memini, limites honesti me transiisse.

Eccli. 8. 17.

Hæc talia omnia, cum infra miseriam suam meritum esse existimaret anxius adolescentis animus, tandem, velut orta luce, clariùs videre cepit fundum totius calamitatis. Nam meminens, se antehac à Deo vocatum ad Societatem Iesu ingrediendam, applicatamque ad aratrum manu, retrò respexisse, enimverò etiam procul resiliisse, illico in has voces erupit. Ah video, Domine, quid in me plectas. Contempsisti te: hinc reus sum. Extendisti & porrexisti mihi

VII.

Luc. 9. 62.

Ee 2

sti mihi

fti mihi manum, non aspexi. Annuisti, tenui. Habuisti, deserui. Præter æquum igitur nihil facis, si deseris desertorem, & vitam mihi abscindis illam, quam tibi viuere negaui. Hoc dudum, prædixisti te, audiui. Tua enim sunt illa: *Quia vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, aduenerit. Cum irruerit repentina calamitas, & interitus, quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio & angustia: in quali ego nunc sum. Suscipiam igitur, quod merui, & qui religiosè nolui viuere, conabor saltem religiosè mori: & dum spiritus superest, inconstantiam meam non desinam plangere; peccatâque, quæ lachrymis nequeo delere, sanguine ac nece lubens expiabo.* Dixerat hæc calentibus verbis adolescens, cum ei in mentem venit, non ita ad extremum omnia ducta esse, vt Deo non superfit modus succurrendi. Subibat, è medio leonum lacu, Daniele; ex incendio Babylonico, tres pueros; ex ipsis ceti visceribus viuum atque incolumem Ionam Propheten eductum esse. Occurrit & illud: *Domini mortificat & viuificat: deducit ad inferos, & reducit.* Hinc spes illi accensa, hinc oratio in hunc ferè modum effusa est: *Cum angustiareretur in me anima mea, Domini recordatus sum: vt veniat ad te oratio mea. Itémque: Vuet anima mea, & laudabit te: & iudicia tua adiuuabunt me.* Moxque voto se obstrinxit, in proximo Societatis domicilio, si ferale illud claustrum manusque sanguinarias euasisset, petiturum, vt in album Sociorum reciperetur; addiditque illud Propheticum: *Quæcumque voui, reddam pro salute Domino.*

Vouerat, & extemplo serenitas menti reddita est, nondum etiam cognita securitate. Erat tunc non sine luna coelum, & pelos cupæ radij clariores in captum incidebant. Ea dolij apertura, pro fenestra, vsus, ad luporum accurrentium vlulatum excitatus prospexit. Ibi nouus eum horror inuasit, nam complures vidit, lupos dolium vndique, in omnem partem, circumeuntes, & naribus hariolantes, quid intus esset. Cœnam nimirum famelici, ex odore, indagabant. Ibi demum cæpit iuueni carcer suus esse charus, cuius effractores nolebat esse lupos. Sed intelligite potentem Dei sapientiam atque bonitatem. Quàm ex exiguo malo ingens procurat bonum? Ex metu iocum, ex ioco quantum attulit beneficium? Dum lupi circa dolium súsque deque vagantur, ca-

sine

Prou. I. 26.

Ion. 2. 1.

1. Reg. 2.

Ion. 28.

Psal. 118.

Ion. 2. 10.

VIII.

sine dicam, an diuina manu, vnus appendiculæ summitatem, per os vasis, immerfit, eaque faciem ad eò ipsam intus prospectantis leniter demulfit. Ibi; seu natura, seu bonus potius, Genius suggestit, ex templo iuuenis palpum vtraque manu arripit, caudamque lupi omnem, aduersis pilis, intro ad se trahit, ante interitum suum, vltimò lufurus. Lupus vbi se captum sensit, primò horrendum caput viulare; ad quam vocem ceteri omnes in fugam se dederunt; deinde conari institit, an se possèt è vinculis liberare. Lepidum erat, funesto tempore, certamen, hinc lupi trahentis, inde retrahentis adolescentis, lupumque, quanta maxima vi poterat, tenentis. Bestia, quò magis se se astrictam colligatamque animaduvertebat, eò magis nitebatur in contrarium euadere; tantòque impetu ferebatur, vt dolium ipsum, vnà cum suo incola, post se, ad abruptum aliquem saxosumque locum raperet. Ridebat intus vector, mirabatúrque, tam citò è cupa rhedam esse factam, & ex victima aurigam. At vbi, acto, per præceps, & lupo, & dolio, impactòque identidem in scopulos, ac tandem etiam rupto solutòque vase, se in auras editum vidit, lupum manu misit, qui, libertate accepta, ne respiciens quidem, diffugit.

Adolescens autem in pedes pariter & spem euadendi erectus, per auia & inuia, se quàm longissimè inde proripuit, intercurrentem, Deo laudes dicere non oblitus, sed illud, aut aliud quid simile identidem vsurpans: *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me: de ventre inferi clamavi, & exaudisti vocem meam. Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum: veruntamen rursus videbo templum sanctum tuum.* Nam, quod voui, exequatur, non executurus, nisi me in extremum discrimen coniectum sapere docuisses. Nullus enim vnquam Diogenes, in dolio tam vtiliter est Philosophatus. Hæc ærumna mea, fuit schola tua. Maxima gratia fuit, in latrones incidisse; illi me ex laqueis diaboli, ex ipsis incendijs inferni, eripuerunt. *Cognoui, Domine, quia aequitas iudicia tua: & in veritate tua humiliasti me.* Hæc angustia cor meum, dilatauit. Hæc nox mentem meam illuminauit. Proximus morti, didici viuere. Viuam, & vt tibi viuam, Domine, Mundo moriar. Hæc talia, per totam noctem, cum Deo, & secum est locutus, dièque reddita, aliò, quàm priùs iter instituit. Nam ad proximum Societatis Collegium profectus, admitti in tirocinium flagitauit. Admissus est, & in religione constanter viuens, Deo, pro tam mi-

IX.

Ion. 2. 3.

Psal. 118.

rabili vocatione, nunquam se satis esse gratum posse, agnouit; vt qui eum, per errorem siluæ, in viam salutis; per captiuitatem lupi, in libertatem; per latronum pericula, ad veram securitatem reduxisset. Dubium non est, latrones postea, ad iuuenem è custo- dia eximendum atque contrucitandum reuersos capere non potuisse, quibus alis, dolium è loco suo auolârit: cum ne vespertilio quidem, qui sine plumis volat, volet sine alis.

- X. Scio consuetum multis, vt Tellenis cantilenas canant, qui vtiq; hanc à me narratam historiam dicent, esse pulchram fabulâ. Cum illis non contendam. Suo nimirum pede alios metiuntur: nam cum ita se gerant, vt nemo illis possit credere, etiam ipsi credunt nemini. Qui autem norunt, quàm sit *mirabilis Deus in sanctis suis*, diuina opera, nequaquam humanis iudicijs temerant, sed suspiciunt ac venerantur dicentes: *mirabilia opera Altissimi. Qui & alios complures deduxit in via mirabili.* Nam prope simillimam historiam prolixè describit Ludouicus Richeomus; de Tristano, qui itidem priùs in latronum manus incidit, quàm nuncium Mundo remitteret; immo præsentiori periculo ereptus est. Etenim Vincentius, Theodosius & Lazarus eum repererunt, in silua, *sub ingenti & procerâ quercu, solo iudusio tectum, terra porrectum, & instar eorum, qui rote supplicio afficiuntur, palis quatuor alligatum,* ac lupum manu tenentem, qui eum, cum alijs quatuor, deuoraturus erat, nisi diuinitus ereptus fuisset. Historiam curiosè iucundam, cum & longa sit, & author in manibus habeatur, piget exscribere. Sufficit, quod ego narraui, exempli similitudine confirmauisse; eiusque bonitatem laudauisse, *qui facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus;* illique paruifese, qui ait: *Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: notas facite in populis adinventiones eius. Cantate ei, & psallite ei; & narrate omnia mirabilia eius:* neque aliquid fortuitum vocate, si in casum inopinatum inuoluamini; sed agnoscite hominis casum, Dei esse consilium; Fortunam mortalium, Numinis aut gratiam aut pœnam; stultorum denique *Fata*, non esse, quod ipsi fingunt, tollentia, sed punientia malè vsurpatam peccantium libertatem. Neque enim in casibus humanis *Fortuna* aut *Fatum*, sed diuinæ Prouidentiae iudicia dominantur.